

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA


Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*Melissa magna parte ... Americana !*

*... Melissa vestra aduolavit in Americam, unde multos rettulit nuntios, et optimos, de Latinitate quae ibi magis magisque floret. Praeterea hoc fasciculo etiam proponitur argumentum medicum (p. 10) et linguisticum (p. 12) et tertia symbola de moribus antiquis (p. 15).*



Hic *kouros*, in Metropolitanu Artium Museo Neoeboracensi expositus, ex albo marmore VI saeculo a.C.n. exsculptus est. Haec statua numeratur inter primas in Attica factas; eius aspectu Aegyptiaco demonstratur, quantum valuerit cultus Aegyptiacus in cunabulis artium Graecarum.

Hac occasione data, ad usum recentiorum lectorum, memoriam originis tituli nostri «Melissae» hic repeto, qualis definitus est anno 1984 in primo fasciculo:

«Cum nomen sit omen, commentariorum periodicorum nostrorum nomen erit MELISSA. Hoc signum, quod invenitur in hieroglyphicis litteris, nobis opportune videtur cum Melissa coniungendum, ut meminerimus radices cultus civilis nostri ad antiquissimos Aegyptios descendere. Melissa Graece significat apem. Quod Graecum nomen consulto elegimus. Nam etsi nobis propositum est commercium Latinum instituere, tamen oportet semper meminerimus neque linguam Latinam neque cultum civilem nostrum seiungi posse a litteris Graecis.»

# MELISSA IN AMERICAM ADVOLAVIT

REFERT GAIUS LICOPPE

**F**ieri non poterat ut Melissa, quae nihil Latini a se alienum putat, Foederatas Civitates Americae Septentrionalis non adiret, cum in his regionibus nova fierent incepta Latina.

Professor Terentius Tunberg, de quo fusius narratur in alia huius fasciculi symbola, Melissae moderatores iamdudum invitaverat ad Conventiculum Latinum participandum, quod quotannis instituere solet in campo universitatis Lexingtoniana. Quare Francisca egoque statuimus iter Americanum hoc anno suscipere.

\*  
\* \*

Uno volatu Neoeboracum advecti triduum degimus in insula Manhattano, qua continet antiquior et praecipua pars illius ingentis urbis.

Postea Lexingtoniam, Civitatis Kentukianae caput, petivimus, ubi perhumaniter recepti sumus a Guenevera et Terentio Tunberg. Conventiculi participes exspectabantur die Iovis 23 m. Iulii postmeridiano tempore in pulchra campi universitarii domo, qua universitas donata est ut usui foret cultui humano colendo.

Plus quam triginta homines nomen dederant ad conventiculum participandum, quamquam eodem anno iam institutum erat prius conventiculum eiusdem generis. Inter advenientes duos libentissime iterum vidimus, qui nobis iam diu erant noti, Petrum Hrandek Austrium et Annulam Llewellyn Californianam, quae diu in Europa mansit.

Hora sexta, cum plerique advenissent, cena opipara praebita est in oeco ubi sessiones erant habendae. Qui oecus, quamvis magnus esset, Terentio vix videbatur tot participes continere posse! Post cenam moderator de rebus futuris diebus agendis verba palam fecit, imprimis Latine,

postea Anglice quia nonnullis participibus verba Latina nondum erant satis perspicua. Haec fuerunt ultima verba Anglicæ ab eo palam facta, cum lex conventiculi esset «nihil nisi Latine» proferre.

Ipsum conventiculum octo dierum incohatum est die Veneris 24 m. Iulii. Ternae sessiones, singulae per sesquihoram, cottidie habebantur, excepto Martis die quieti dedito. Quiet?! Nonnulli




*Conventiculum sedem habuit in pulchra domo, quam Maecenas nomine Gaines dicari voluit studiis humanisticis.*

e strenuissimis participibus iudicaverunt non esse exercitationes Latinas remittendas, huiusmodi occasiones esse nimis raras, atque sessiunculam suam ipsi instituerunt, inter quam Erasmi colloquia familiaria una legerunt; nonne pulchrum, moderatorem auditores tantum rapuisse, ut finem laborandi facere nolint?

Sessio antemeridiana hora undecima incohabatur; binae postmeridianæ habebantur ab hora secunda et dimidia usque ad horam sextam, interposita pausa semihorae. Inter primam sessionem agi solebat de rebus cottidianis verbis Latinis apte exprimendis; inter secundam





*In oeco refertissimo participes magistrum attente auscultant.*

sessionem imagines ostendebantur verbis Latinis describendae; inter tertiam textus cuiusdam auctoris sive antiqui sive recentioris palam legebatur et explicabatur.

Singulae sessiones in binas partes dividebantur. Primam communem et, ut ita dicam, magistralem facunde moderabatur Terentius. Ad alteram partem agendam participes in minores greges congregabantur, in quibus Terentius imperitos cum peritioribus scite commiscere solebat. Quibus gregibus de argu-  
mento quodam imposito erat Latine  
disputandum.


Praestitutus sessionum ordo paululum aptandus fuit duabus acroasibus improvisis, uni a Petro Hrandek factae «de linguae Latinae sententiis perlongis» (vide p.12), alteri qua Iohannes Traupman imaginibus in album projectis Iliadem et Ae-  
neidem illustravit.

Addamus oportet Terentii Tunberg inceptum praecipue spectare ad magistros linguam Latinam docentes, ceteris tamen hominibus non exclusis. Magistris monstrare vult Latinitatem non solum pertinere ad antiquitatem, eam multo latius patere, atque insuper linguam La-  
tinam, quae post antiquitatem iam nullius gentis fuit sermo patrius, op-  
timum et diuturnissimum instru-  
mentum communicationis inter

doctos omnium gen-  
tium factam esse.  
Quod, si volumus,  
restituere possumus  
non solum sine ni-  
miis laboribus, sed  
etiam omnium docen-  
tium et alumnorum et  
excultorum hominum  
delectatione et emol-  
limento. Haec enim  
lingua pertinet ad  
cultum Europaeum in  
utramque oceanii At-  
lantici ripam diffusum;  
praeterea, cum  
nulli genti propria sit,  
nullam offendit.

Anno 1996 Te-  
rentius Tunberg pri-  
mum Conventiculum  
Latinum instituit, cui  
participes numero  
fuerunt undecim. Hoc  
anno 1998 duo con-

venticula instituit, quibus interfuerunt circiter  
quinquaginta homines. Ex hoc incremento  
opinioneque eorum, qui praecedentia conventicula  
participaverunt, patet hoc inceptum esse valde  
gratum et exspectatum. Ad plures accipiendo  
anno proximo Universitas conventiculo praebebit  
non solum oecum maiorem, sed ingens aedificium  
extra urbem situm mediis in pratis, ubi omnibus  
participibus etiam licebit pernoctare atque hunc  
in modum parvulam civitatem Latinam condere per-



*Cenam in horto sedulo praeparant  
Rufilla O'Neill et Iacobus Dobreff.*

unam septimanam.

Mirandum est quod participes vix venerunt ex Civitate Kentukiana, sed fere omnes ex aliis Americanis civitatibus, quin etiam ex antipodibus, sicut Marcus Davies qui advenit ex... Nova Zelandia! Nonnulli nuntium conventiculi per Interrete acceperant; inde videmus utilitatem huius instrumenti ad Latinistas coniungendos.

Certe magistri, qui his conventiculis interesse cupiunt, sunt inter optimos strenuissimosque. Sessiones, quibus legebantur textus omnis aetatis, singulis participibus occasionem dederunt suae scientiae patefaciendae de litteris, de mythologia tum Graeca cum Romana, necnon de historia Christiana. Procul dubio domum postea reversi alios magistros hominesque ad Latinitatem vivo modo colendam allicient; hoc quidem est in votis. Ceterum inter huius conventiculi participes nonnulli fuerunt, qui iam bene Latine loqui sciebant propterea quod praecedentia conveticula vel alia seminaria participaverant. Nonnulli eorum Romae etiam fructi sunt aestiva institutione Latina, quam praebere solet Americanus Iesuita Reginaldus Foster.


Vespertino tempore, quotiescumque sinebat tempestas, cena praebebatur in horto. Tunc Iacobus Dobreff, a primo conveticulo fidelis factus sodalis et primus Terentii adjutor, supra magnam craticulam cibos perite assabat. Iucunde cenando singulis dabatur occasio ceteros melius noscendi.

\*  
\* \*

Sermo Latinus vivus manifesto renascitur in utraque ripa oceani Atlantici, unde novae vires oriuntur. Nonnulli audaces universitarii professores, contra consuetudinem recentioribus temporibus inductam, volunt restituere vivam institutionem Latinam, qualis omni aevo et omnibus in regionibus post antiquitatem vigere perrexit. Et iure et merito: nam manca est linguae Latinae scientia, si deest facultas bene scribendi et loquendi.



*Eis, qui die quieti dedito Erasmiana colloquia familiaria legerunt, in mentem venit ea in publicum proponere. Sunt enim tam iocosa! Neque spectatores neque ipsi histriones (hic Rufilla O'Neill et David Morgan) facere potuerunt, quin effuse riderent.*



*Inter pausam cafeariam: Dominica Velghe Belgis (a sinistra) et Annula Llewellyn-Menn conditrix instituti c.n. S.A.L.V.I. (vide p. 16)*



# RECORDATIONES NEOEBORACENSES

RELATAE A FRANCISCA DERAEDT

**S**i quis in America numquam antea versatus, sicut ego, primum omnium iter facit Neoeboracum, idem spectaculum viarum ingenue miratur tamquam documentum totius vitae Americanae. Omnia ibi maiora sunt quam in Europa: et aedificia et autocineta et longitudo viarum et horti publici et celeritas cursus vitalis.

Nam homines currunt. Sive et turri, ubi habitant, tramine subterraneo vecti incurruunt in turrim, ubi laborant. Sive autocineti in stabulo deposito, in quo ita levatur machinamento ut locus infra tribuatur aliis autocinetis, concurrunt in Viam Moenium (v. Wall Street), quae dicitur, seque praecipitant in bursam. Sive res emunt in innumeris tabernis, inter quas tam multas nescio quo modo eligere possint. Bene mane post deversorii fenestram iam tantum video omnium concussum, ut me pudeat ientaculum interea tranquille sumere.

Procul dubio Dominico die nihil agunt, quiescunt, defatigata crura reficiunt. Nequaquam. Dominico die etiam currunt. Sed tunc in Viridario Centrali, bracis curtatis vestiti, canem sive trahentes sive sequentes, anhelantes, suspirantes, sibi persuasum habentes tales cruciatus necessarios esse ad servandam corporis valetudinem. Et habent, quo currant: Viridarium enim Centrale ingentem aream eis offert, quadringentas et viginti hectareas. Hic est, ut ita dicam, pulcherrimus urbis pulmo. Tibi videreris ambulare in ipso paradi, nisi procul, longe supra arbores, conspicerentur pretiosissimae habitationes Quinti Cardinis<sup>1</sup> (v. Fifth Avenue).


\*  
\* \*

Immanitas tamen debet habere nonnulla incommoda. Quid agis si tibi nonagesimum quintum tabulatum petenti deficit anabathrum? Tales causus ridiculi fortasse raro fiunt, accident autem

multo graviora, ut nostris oculis videre potuimus.


Nam die 21 m. Iulii media in urbe ambulabamus non longe a pernoto compito, cui nomen est «Times Square», cum circumcirca insolitam animadvertisimus concitatem, vias clausas, homines circumcursantes. Modo enim acciderat res vix credibilis.

In hac regione urbis aedificatur novum multizonium. Huiusmodi exstructiones giganteae, imprimis ibi ubi iam sunt alia multa aedificia, non facile fiunt. Hoc aedificium, de quo agitur, est quasi involutum altissima structura metallica, quae est etiam exteriore anabathro praedita. Nescio autem qua de causa, illo die structura anabathri terrifico strepitu corruit. Operariis quidem clamitantibus effici potuit, ut homines praetereuntes tempore aufugerent vitamque sic servarent. Vicinum tamen gerontocomium tam vehementer tactum est ab una e partibus metallicis, ut non solum tectum, sed etiam duo superiora tabulata sint perforata. Quorum ruinis perdifficile exploratis inventum est



Parvam inscriptionem Latinam invenimus in museo c.n. «Fraunces Tavern»

urbis cunabula Americaeque liberatio, atque adhuc etiam caupona, in qua inter alios cibos sapidos proponitur cena Georgio Washington inter omnes grata.



*Hoc templum, e Nubia (Dendru) transportatum, est in Museo Metropolitano reaedificatum et pulchre expositum, etiam cum rivulo et palmis.*

exanimatum corpus cuiusdam mulieris.


In viis interea regnavit paralysis generalis: vehiculorum commeatus interruptus, spectacula theatrica suppressa, trecenti fere quinquaginta incolae in alias habitationes transferendi.

Sed de Neoeboraco non solum sunt calamitates narrandae. Nolimus praetermittere musea visu dignissima, quibus nomen est Metropolitan, Cloisters (sunt claustra romanica e Francogallia allata), Guggenheim, Frick, «Moma» (i.e. museum artis modernae), museum Amerindorum et minimum museum nomine Fraunces Tarvern. Quae domus, in qua Georgius Washington anno 1783 suis legatis valedixit, dicitur esse veterrima urbis caupona; inest parvum museum, quo memorantur

Is, inquam, qui in America numquam antea versatus primum omnium iter facit Neoeboracum, ne habeat illud inauditum spectaculum pro testimonio totius vitae Americanae. Relinquit urbem trepidam, atque alios vivendi modos inveniet. Eat exempli gratia... quidni? Eat in Kentukiam patriam equorum cursoriorum! Ibi prata viridia, ibi urbes arboribus mirum in modum ornatae, nulla domus sine horto, ibi vita tranquillior, atque, plura dicam, ibi fiunt conventicula Latina!

#### ADNOTATIO

<sup>1</sup> Urbs Neoeboracum ita divisa est secundum rationem Hippodami illius architecti Milesii (V saec. a.C.n.), ut omnes viae sint decumani, omnes latiores viae sint cardines. Qui numeris solent designari, id quod phantasia triste caret, sed valde utile est ad viam inveniendam. ☙



*Inter conventiculum, a sinistris: Terentius Tunberg, Gaius Licoppe, Albertus Dwight Castro, Rufilla O'Neill, Godefridus Wills, Simeon Levine.*



INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES :

# TERENTIUS ET GUENEVERA TUNBERG



uis est ille, qui in America una cum uxore Latinitatem et tanto entusiasmo et tanto vigore curat expergefaciendam?

\*  
\* \*

Terentius Tunberg anno 1950 natus est Angelopoli (v. Los Angeles) in California. Cum pater esset scriptor operum cinematographicorum et mater pulcherrima actrix Acrifoliensis (v. Hollywood), domicilio non raro mutato evenit ut studia secundaria Londinii faceret in Britannia. Evenit etiam res studiis Britanicis multo iucundior: nam cum patre aliquando migravit in Barbatianam insulam paradisiacam, ubi duos annos licuit feliciter vivere, mari frui, se velificationi dedere. Velificare: hoc illis temporibus fuit eius studium praecipuum, usque dum nescio quo divino afflatu se anno 1969 vertit ad studia classica.

Primum gradum, id est baccalaureatum, tunc

adeptus est in studiorum universitate Angelopolitana, secundum in Britannia, ubi in Collegio a Rege nominato universitatis Londiniensis diploma magistrale, quod dicitur, meritus est.

Cum thesin doctoralem conscribere vellet de litteris Medii Aevi, professores ei suaserunt ut Canadam peteret, ubi in universitate Torontina florebat optima cathedra litteris mediaevalibus dedita. Itaque in Canadam migravit thesinque confecit, quae spectat ad editionem criticam cuiusdam textus in Italia XIII saeculo conscripti ab auctore anonymo.

\*  
\* \*

Sed in Canada non solum inveniuntur textus mediaevales: ibi Terentius etiam invenit Gueneveram (v. Jennifer) uxorem futuram, quam, si Deus voluisse, iam antea in Britannia inter studia convenire potuisse. Nam Guenevera Moorish Canadensis, nata Londinii (id est Londinii in Canada, in qua urbe etiam fluit Tamesis!), post studia litterarum Anglicarum in eiusdem urbis universitate peracta capta erat studio historiae mediaevalis et librorum manuscriptorum, ad quos curandos octo annos versata est Oxoniae in Britannia. In universitate Oxoniensi thesin doctoralem conscripsit de libris manuscriptis nono saeculo in Britannia editis. Eadem deinde, postquam duos annos munere manuscriptorum curandorum functa est Baltimorae in museo c.n. Walter's Art Gallery, Toronti in universitate docuit artem palaeographicam, eodem tempore quo Terentius quidam Tunberg ibi etiam versabatur.

His perfectis studiis, Terentius Tunberg primum temporarie docuit litteras classicas in studiorum universitate Civitatis Virginiana.



*Terentius Tunberg cum Gaio Licoppe colloquens.*

Praeterea cum Certamen Vaticanum anno 1987 participaret, numisma argenteum meritus est pro scripto, c.t. «de orbe terrarum ab hominibus inquinato».

Anno 1988 Lexingtoniae in universitate Kentukiana factus est linguarum classicarum professor, sive, ut ita dicamus, «subprofessor», nam in hac universitate probatio sex annorum necessaria est antequam munus fiat perpetuum. Ergo anno 1994 perpetuus factus est professor. Guenevera in eadem studiorum universitate litteras antiquas et mediaevales (Latinas, Graecas et Anglicas) docet studentes, qui initio qualiumcumque studiorum academicorum necesse habent imbuiri disciplinis humanisticis. Nolimus interea praetermittere matrimonium celebratum Versaliis (v. Versailles) in oppido sito prope... non Parisios, sed Lexingtoniam!

Anno 1993 Terentius Tunberg iter in Belgicam fecit ad participandum Conventum Academiae Latinitati Fovendae, qua occasione data consuetudinem iunxit cum professoribus Iosepho IJsewijn et Theodorico Sacré. Terentius magis magisque alliciebatur litteris neolatinis. Praestantissimae autem sedi litteris neolatinis dicatae in universitate Lovaniensi praesidebat professor IJsewijn, qui eum invitavit ut integrum annum fungeretur munere professoris peregrini incumboretque in textus neolatinos investigandos.

Sic factum est ut Terentius et Guenevera Tunberg, nobis adhuc ignoti, in Belgicam anno 1995 transmigrarent. Cum Latinitatem vivam etiam colerent, professor Theodoricus Sacré, qui symbolis suis ornare solet Melissae fasciculos, eis suasit ut Latinas circuli Bruxellensis sessiones participarent. Inde inter nos consuetudo gratissima.

Terentius dicit propositum conventicula Latina instituendi in sua universitate ortum esse ex his sessionibus, ubi participes sermocinando exercebant (et exercent) linguam Latinam. Atque, illo anno transacto, in patriam reversus rem statim curavit. Anno 1996 primo conventiculo affecti sunt 11 participes; anno insequenti 27 fuerunt; hoc autem anno, crescente numero participum, duo conventicula fuerunt instituenda, quae 47 homines participaverunt. Quid exspectandumst in annum proximum?

Ceterum Terentius Tunberg hoc anno etiam receptus est inter sodales Academiae Latinitati Fovendae.




*Guenevera et Terentius Tunberg*

Quid de futuris? Proposita non desunt, quae pertinent ad Latinitatem propagandam. Ut exemplum afferamus, proximo mense Decembri Vasontoniae habebitur magnus conventus palaeophilologorum, ad quem participandum fere septingenti exspectantur et philologi et archaeologi; ibi, res omnino nova, moderante Terentio Tunberg etiam proponentur Latinae acroases a Theodorico Sacré et Thoma Pekkanen prolatae.

Ceterum hoc anno academico ipsa institutio universitaria vivificabitur; nam novae res in universitate Kentukiana proponentur: institutio Latine scribendi et etiam altera, non obligatoria sed valde commendata, qua studentes una cum Terentio Tunberg textus legent quam maxime varios, non solum antiquos sed etiam mediaevales et neolatinos; quos textus commentantes artem assidue exercebunt Latine scribendi et loquendi, atque haec omnia... nullo alio sermone adhibito, nisi Latino!

Nec Gueneverae desunt consilia. In Latinum nuper convertit lepidam fabulam Anglicam, quae a domo editoria Bolchazy-Carducci in publicum proponetur tempore Natalicio (Bolchazy-Carducci Publishers, 1000 Brown Street, Unit 101, Wauconda, IL, 60084 - orders@bolchazy.com - <http://www.bolchazy.com>). Ipse fabulae titulus optime congruit cum festo Natalicio: «Quomodo invidiosulus nomine Grinchus Christi Natalem abrogaverit». Nos interea facere non possumus quin paginulam ex hoc opere excerptam vobis proponamus (p. 9) tamquam praegustationem; haec enim est tam nitida, ut melius praeconium vix possit inveniri.





(...)

At, pro dolor! in loco haud longe *Laetopoli*  
ad septentriones sito habitabat  
invidiosulus quidam, nomine Grinchus, qui festum illud  
OMNINO VEHEMENTERQUE RESPUEBAT.

Non tantum dies ipse sed etiam  
tempora omnia quae Christi natalem  
aut antecedebant aut sequebantur  
invidiosulo nostro *odio* erant *maximo*.  
Age nunc, amabo, noli me rogare  
quare Grinchus ille tali modo  
se gesserit. Nemo pro certo  
consuetudinis eius causam scit.

*Fortasse mentis haud omnino erat compos!*  
*Fortasse calceamentis vexabatur angustissimis,*  
*quibus pedes eius crudeliter cruciabantur!*  
*Quis sciat? Sed, nisi fallor,*  
*verisimile est invidiosulo nostro cor fuisse plumbeum.*

# DE FETU IN FETU

REFERT GAIUS LICOPPE

**E**tiam (vel fortasse praesertim) eis qui in scientias naturales non incumbunt utile est aliquid comperire, quo cogitationes saepe dogmaticae cum rebus naturalibus conferantur.

Verisimiliter, benevole lector, si non es medicus, nescis quid sit «fetus in fetu» (hac locutione Latina adhuc utuntur medici). Est casus feliciter rarissimus (semel circiter inter 500.000 partuum), quo fetus quidam in corpore suo unum vel rarius complures alios fetus ipse gerat.

Haec singularitas primum descripta est anno 1800 a medico Meckel nomine, qui ei nomen «fetus in fetu» dedit. Propter recentes doctrinae geneticae progressus haec singularitas nunc accuratius explicatur quam antea. De qua re agitur?

Moles insueta invenitur in abdomen infantium minus quam duos annos natorum, vel (multo rarius) puerorum, quin etiam adolescentium. Huius molis natura fetalis agnoscitur sive post ablationem chirurgicam sive iam antea, ope «imaginalium medicorum» (1). Huius generis moles non solum habet formam fetus plus minusve completi, sed praesertim ostendit multiplicem organogenesin (2).


Quomodo hoc portentum fieri possit, nobis nunc explicatur doctrina genetica.

Vix quisquam est hodie, qui nesciat quid sit zygota (3). Quae unica cellula ex coniunctione ovuli (4) cum spermatozoido (5) orta a multis habetur pro initio personae humanae. Haec tamen

affirmatio rerum observatione subruitur. Nam cellulae, quae primis zygotae divisionibus dignuntur, dicuntur esse «totipotentes», propterea quod singulae valent totum embryon (6) producere. Ignotis enim de causis accidit ut globus cellularum «totipotentium», qui primis zygotae divisionibus formatur, in duas vel complures partes dividatur. Hoc modo fiunt partus gemini, trigemini, quadrigemini et plures, qui dicuntur «veri gemini» cum ex eadem zygota oriuntur et hac ipsa de causa idem genoma (7) habeant.

In rarissimis casibus de quibus hic tractatur cellulae totipotentes globi initialis qui vocatur blastula (8) causa incognita inaequaliter dividuntur; inde fit ut duae differentes partes in globo appareant, quae tamen una ab altera non separantur. Pars globi ex minoribus cellulis constans multo lentius crescit quam ea ex maioribus constans; quare brevi tempore minor pars circumdatur maiore, quae fit fetus normalis. Minor pars, etsi in maiore includitur ubi male alitur, tamen plus minusve crescere pergit in corpore fetus hospitis ubi fit moles fetalis.

Haec est forma, ut aiunt medici, graviditatis gemellaris, monozygoticae, dichorionicae et diamnioticae. Quod simplicioribus verbis sic exprimitur: moles fetalis et fetus hospes sunt veri gemini, cum ambobus sit idem genoma; ambo involvuntur sacco amniotico cum liquore; ambo habent chorion (9) sive involucrum in quo fetus ante partum haeret et alitur.



*Hoc photographemate monstratur fetus imperfectus ex abdomen gemelli modo extractus a chirурgo: caput ad dextram imaginis, membra inferiora ad sinistram. (HT. PHAN (...), Fetus in fetu: à propos d'un nouveau cas, in: Radiologie, vol. 18 n° 1, Montpellier, Sauramps médical, 1998; p. 78).*

# *Medicum portentiloquium*


Fetus inclusus propter inepta circumstantia habet organogenesin plus minusve imperfectam. Plerumque habet columnam vertebralem, nervosum systema centrale, tractum gastro-intestinalem et vasa; rarius exstat cor.

Ut supra iam dixi, moles fetalis plerumque invenitur in abdomeni sui gemelli. Imaginem monstro casus recenter divulgati, ubi moles fetalis 20 cm. longa sectione chirurgica extracta est ex abdomeni puellulae 19 menses natae. Bene agnoscitur eius caput cum capillis, truncus et brevia membra; intestina apparent quia deest paries abdominalis.

Sed alii sunt casus multo magis extraordinarii. Anno 1950 verbi gratia in quibusdam commentariis medicis divulgatus est hic casus: apud infantem, cui erat pathologia nervosa, inventum est cephaloma (10) (id est tumor cerebri); post ablationem chirurgicam compertum est hoc cephaloma constare ex quinque parvis molibus fetalibus! Suntne hi fetus aberrantes quoque personae humanae? Habentne animam?

## ADNOTATIONES

- 1 imaginalia medica: haec locutio nunc necessario substituitur vocabulo «radiologiae», quia huius specialitatis campus decursu temporum multo latior factus est quam usus medicus radiorum X. Hac enim specialitate etiam comprehenditur usus ultrasonorum et resonitus magnetici. Francogallice vocatur «imagerie médicale» et Anglice «medical imaging».
- 2 organogenesis, is: cfr B. ZLOTNICKI, Lexicon Medicum, Varsaviae, Polish Medical Publishers, 1971, p. 848.
- 3 zygota, ae: op. cit. p. 1241.
- 4 ovulum, i: op. cit. p. 859.
- 5 spermatozoidum, i: op. cit. p. 1077.
- 6 embryon, onis n.: to; e[mbruon Ant.
- 7 genoma, atis: op. cit. p. 413.
- 8 blastula, ae: op. cit. p. 141.
- 9 chorion, ii: op. cit. p. 205.
- 10 cephaloma, atis: op. cit. p. 193.



*His delineamentis nobis fingere possumus primas zygotae divisiones usque ad gradum blastulae, de quo agitur in hac symbola.*

(J.P. VANDEN EECKHOUDT, C. NICOLAS, *Eléments de biologie générale*, Bruxelles, Dessain, 1992, p. 137).

# DE LINGUAЕ LATINAЕ SENTENTIIS PERLONGIS

(ADUMBRATIO LINGUISTICA)

ORATIONEM LEXINGTONIAE INTER CONVENTICULUM HABUIT PETRUS HRANEK

*Dimidia pars infinitatis est infinitas  
Dimidia pars sententiae longae est sententia longa*

**C**ogitatione vobis fingite, amicae amicique sermonis imperialis, huius acroasis duas formas diversas: primum cogitate oratiunculam ex multis sententiis brevissimis constantem, coniunctionibus vix adiunctis, laxe inter se conexis; deinde iudicare conamini de proprietatibus talis textus, qualis est tantum una ingens sententia, unus verborum circuitus. Nemo est, quin illas formas extremas a me descriptas maxime dissimiles esse ac vix comparabiles arbitretur. Nihilominus acroasis mea in talibus campus linguisticis se movet. Nam mea opinione campus, quo sententiae longae et perlongae investigantur, nondum satis cultus est.

\*  
\* \*

Sunt, qui dicant sermonem Latinum esse sermonem lapidum. Mundus inscriptionum Latinus est. Sententiae sunt astrictae, validae, vi magna in marmore sculptae. Qui inscriptiones confidere vult, ei opus est vi, tempore, brevibus sententiis. Mathematici in disciplina linguistica quantitativa auxilio statisticarum methodorum frequentias verborum et distributiones determinant et comparant. Quod ad linguas Indo-europaeas pertinet, verisimile est linguam Latinam optime aptam esse ad creandas sententias concisas. Latino enim inest redundantia exigua, id quod entropiam computando demonstrari potest. Veni, vidi, vici. Hoc est momentum maximum brevitatis. Apud Suetonium legimus: (Caesar) Pontico triumpho inter pompaе fercula trium verborum praetulit titulum VENI.VIDI.VICI non acta belli significantem sicut ceteris, sed celeriter confecti notam.

Ut iam supra dixi, aspectum alium linguae Latinae disputare in animo habeo. Disputaturus sum de sententiis longis et perlongis. Qui opera scriptorum Latinorum aut libros aliis linguis scriptos animo attento legit, nonnumquam

sententias mirabilis longitudinis reperit. Exempli gratia Hermannus Broch, mathematicus et scriptor Austrius, in libro, qui inscriptus est *Der Tod des Vergil* (de morte Vergilii), ultimas vitae Vergilii duodeviginti horas exponit et in describenda mortis ipsius hora sententiam amplius mille verborum explicat. Similia et in aliis linguis inveniuntur. Satis constat Latinum quoque sermonem peraptum esse ad formandas sententias perlongas. Quis Livium, ut ita dicam, patrem periodorum, ignorat? Itaque breviter disseram, qua ratione Latinae sententiae longae considerari possint, quae problemata inopinata obvia fiant, quae quaestiones in futuro tractandae sint.

\*  
\* \*

Primum formalem structuram periodorum Latinarum attingere volo. Ut periodi structuram in uno conspectu ponant, grammaticos simplicem formalem linguam adhibere constat. Cuius formalis linguae alphabetum definitur auxilio huius multitudinis:

{A,B,...,Z,a,b,...,z, α,β,...,ω,3,4,...,9,:/,().}.

Verba formalis linguae ex elementis alphabeti conglutinata sunt; quodque verbum syntactice rectum structuram periodi unius describit. Semantica vel significatio symbolorum facile explicatur. Litterae et numeri sententias significant, characteres speciales sententiarum contextum significant; quod in tabella I plane descriptum est.

\*  
\* \*

Altero aspectu grammatici veteres periodos dividebant in protasin et apodosin: protasis est prior pars periodi (quae et antecedens dicitur), in qua oratio crescit aliquo modo et attollitur, dum

<u>Symbolus</u>	<u>significatio</u>	<u>exemplum</u>	
A,B,... (litterae grandes)	significant sententias primas seu propositiones primarias	A	
a,b,... (litterae minutae)	significant sententias secundas seu propositiones secundarias	a	
a, $\beta$ ,... (litterae Graecae)	significant sententias tertias	$\alpha$	
3,4,... (numeri)	significant sententias maioris gradus ( $\geq 4$ )	3	
3',3'',... (numeri apostrophati)	significant quaslibet sententias eiudem gradus	3'	
:	(colum)	significat sententiam minoris gradus sententiae maioris gradus succedentem	a:A, $\alpha$ :a
/	(linea dextrorum inclinata)	significat sententiam maioris gradus sententiae minoris gradus succedentem	A/a, a/ $\alpha$
(.)	(uncini rotundi)	significant sententiam secundariam innectam	A(a)A, a( $\alpha$ )a

*Tabella I: Lingua formalis periodorum*

in consequenti seu apodosi conquiescit. In hac acroasi me contineo in disputanda formali periodi parte.

Apud scriptores Latinos sex formae vel schemata periodi, quae ex una sententia prima et una sententia secunda constat, inveniuntur. Ecce schemata et exempla.

<u>Schema</u>	<u>exemplum</u>
a:A	Cum Hannibal Saguntum delevisset, Romani Carthagensisibus bellum induxerunt.
A(a)A	Hannibal, cum Saguntum delevisset, Romanis bellum intulit.
A/a	Hannibal Alpes superavit, ut Romanis bellum inferret.
a(A)a	Haec res, metuo, ne nobis pernicie sit.
A(a)A/a	Quis meum consulatum inventus est, qui vituperaret?
a(A)a/A	Huius Victoriae, non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere.

*Tabella II: Periodi simplices*

Sunt quindecim formae periodi ex una sententia prima et duabus sententiis secundariis (secundi et tertii gradus) constantis; quo magis complicatus verborum circuitus est, eo maior est numerus formarum.

Nemo est, quin periodos Livianas perlóngas

noverit. Livium, rerum gestarum scriptorem maximi momenti, nudas etsi longas sententias non temere deduxisse, sed informationem logico quidem aspectu discripsisse et in membra redigisse constat. Exempli gratia ea periodus illustrissima, quam quia de Capitolio est, Capitolinam vocare velim, afferatur:

A(a(a)a)A(b)A/c      Namque Galli animadverso ad Carmentis saxo ascensu aequo nocte sublustri, cum primum inermem, qui temptaret viam, praemisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innixi sublevantesque in vicem et trahentes alii alios, prout postularet locus, tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent.

Ut scimus, tales imagines grammaticae non solum a Romanis libenter scribebantur et legebantur, verum etiam declamabantur et audiebantur et ut musica aestimabantur.

Hermannus Menge, Latinista Germanus, in libro, qui inscriptus est *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik* (pensa ad colendam syntaxin et elocutionem linguae Latinae) exemplum extreum affert:

A/(a/a(3)a/3'(4)3')      Credo ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus.

Periodi apud oratores et rerum gestarum scriptores in usu erant: veteres sententias perlongas amabant et adhibebant, ut mundum simul sub logico et grammatico aspectu ponerent.

Sunt, quos schematum aridorum et structurarum taedeat. Tamen in his rebus etiam recondita et indagatu digna insunt. Carolus Fridericus de Nägelsbach, grammaticus Germanus, in libro, qui inscriptus est *Lateinische Stilistik* (de elocutionis ratione linguae Latinae) rem maxime memorabilem refert. Verborum compositionem Latinam disputans duas formas apud veteres deesse stupefactus cognoscit, id quod communi et grammaticae intelligentiae contrarium esse arbitratur.

Ut Nägelsbach explanat, haec schemata aut non vere Latina sunt aut - fortasse - a philologis adhuc nondum reperta sunt:

a:A(a)A  
et  
A(a)A(a)A.

Nägelsbach causas non offert, sed tantum exempla formae utriusque excogitat. Exemplum

fictum primae formae est:

Tu ut non videoas, non adeo hebes, quod ipse video, es.

Sine dubio talia problemata non solum grammaticam Latinam attingunt, verum etiam coniuncta sunt cum nonnullis aliis disciplinis; quae cum ita sint, hanc quaestionem breviter disserere mihi liceat.

Primum talem rem neque demonstrari neque refelli posse sensu mathematico sane elucet; nam nescimus, utrum schemata a Nägelsbach memorata omnino non Latina sint an scriptores veteres sententiis secundum illa schemata formati modo rarissime usi sint. Unum exemplum contrarium rem dijudicare potest. Quamobrem hoc problema tractabo ea sumptione, ut formae sententiae non falsae sed modo rare adhibitae sint.

Argumentum magni momenti est argumentum quasi psychologicum: homines in legendis audiendisve sententiis linguae cuiuslibet semper viam minime molestam, quae a psychologis via repugnantiae vel resistantiae minimae vocatur, ingredi solent. ↗  
(sequetur)

# DE MUNERIBUS SERVORUM (III)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

## RATIONES INTER SERVOS

**S**ervis non licebat vivere in matrimonio, iis non erant infantes legitimi. Relationes inter servos et servas non erant stabiles, quia venditione seiungi et singillatim venire poterant. Servae ab infantibus separari poterant, si talis erat condicio manumissionis. Quo modo fieri poterat, ut membra talis familiae servilis singillatim manumitterentur, ita ut nonnullis familiis numquam eveniret, ut et parentes et infantes una manumitterentur.

«Contubernia» inter servos verisimiliter manebant stabilia, si uterque vivebat in satis magno convictu, aut si «maritus», ut ita dicam, non vivebat apud dominum suum, sed e.g. tamquam institutor, vilicus in quodam praedio aut si ipsi servi erant in peculio suo (inter quos «uxor» eius). Lucundior vita erat communis servorum magnis in familiis, imperatoriis itemque ruri potius quam in urbibus e.g. Romae.

Re vera relationes inter servum et servam lege non protegebantur. Servis non erat conubium neque potestas. Post manumissionem autem tales relationes (= rationes) agnoscebantur, i.e. legitimabantur.

Inter servos non exstabat dos, quia servis non erat proprietas neque exstabat ius hereditarium.

Infanti feminae liberae status erat matris. Usque ad aetatem imperatoris Vespasiani lex exstabat quaedam secundum qualem infans viri ingenui et servae - quam maritus ingenuam putaverat - liber erat si masculus. Sin autem erat femineus, proprietas manebat domini matris. Illa autem lex ab imperatore Vespasiano abolita est: inde ab illo tempore infantes utriusque generis erant servi.

Pecunia aut alia bona tradi poterant, sed non fiebant proprietas «mariti» liberi servae quae se ingenuam esse affirmaverat, sed potius proprietas manebat domini.

Relationes cum ancillis res sonticae erant, si tali modo familia domini vocabatur in discriminem. Relationes sexuales cuiusdam ingenui cum serva alterius domini ingenui generatim stuprum

aestimabantur, sed non agebatur de actione punienda nisi serva «vilio» erat facta, i.e. sub specie proprietatis. Violatio ancillae ergo digna erat poena tamquam laesio proprietatis domini, non autem tamquam crimen in feminam ipsam commissum.

Servi fugitivi utriusque generis problemata erant perpetua omnibus Romanis. Rarissime serva putabatur effugisse responsabilis infantium suorum.

Servi pars rei familiaris erant, pretiosi ergo, ea de causa servi servaeque iterum iterumque abducebantur a furibus, praecipue servae prostitutionis causa furto abigebantur aut quia infantes iis erant.

Servi plerumque difficilis erant tractandi, ergo difficilis erat eos abigere quamvis nonnumquam propter artes suas indolesque speciales praeda peraestimarentur pretiosa.

Serva sexualitatis causa abduci poterat. Tales abductiones severe puniebantur - scortis exclusis: quia tali occasione non agebatur de furto, sed de voluptate: scortorum abductores non puniebantur. Si agebatur de virginē abducta, amissio virginitatis puniebatur secundum legem Aquiliam. Secundum legem Fabiam (II a.C.n. saec.) plagium (= raptus hominum) ingenuarum aut servarum crimen habebatur commissum.

Quicumque servo aut servae persuaserat ut effugeret aut eam abdiderat, apud se caelabat aut servum fugitivum sciens emerat, aut vendiderat, 50 milibus sestertium puniebatur.

Decursu temporum homines convicti inferioris strati socialis in minas mittebantur, homines ordinum superiorum dimidia parte rei familiaris puniebantur. ↗

(sequetur)



# LATINE LOQUI ...

## QUID SIT S.A.L.V.I.

Mense Octobri a. 1996 Angelopoli (v. Los Angeles) in Universitate Californiana, cura Annulae Llewellyn Iacobique Dobreff, auspiciis Professoris Terentii Tunberg, conditum est «Septentrionale Americanum Latinitatis Vivaे Institutum» (brevius S.A.L.V.I. et Anglice North American Institute for Living Latin Studies).


Promotores efficere volunt ut studia linguae litterarumque Latinarum vehementer crescant in America Septentrionali, praecipue in universitatibus. Ad quem scopum attingendum una est via: Latinitas Viva, quae prorsus non est res nova, sed redditus ad usum per saecula traditum.

Haec consociatio mense Februario a. 1997 accepit in Civitate Californiana statum societatis non quaestuosae et utilitati publicae dicatae. Inde fit ut homines privati, societas quaestuosa et instituta culturalia vel philanthropica possint sodales fieri institutoque S.A.L.V.I. dona immunia gratificari. Idem nos in Belgica frustra petivimus pro Fundatione Melissa.

Praesidis munere fungitur Annula Llewellyn-Menn et Praesidis Vices Gerentis Iacobus Dobreff. Quod ad sodales pertinet, Annula inter Conventiculum Lexingtonianum in mappa mundi ostendit eos esse iam multos et per totum orbem terrarum dispersos. Melissae moderatores libenter facti sunt socii honoris causa.

De futuris propositis haec sunt nuntianda:

- secunda concessio generalis instituti S.A.L.V.I. fiet in urbe Muncie die 17 m. Oct. a. 1998 inter sessiones conventus annui litterarum humaniorum c.t. «Novus et Antiquus», in Universitate Publica Civitatis Indianaæ c.n. «Ball State University»;
- secundum conuenticulum de Orbe Novo habebitur in pago Californiano «Oceanside» a die 26 m. Iunii ad diem 2 m. Iulii a. 1999. Et sessiones et participum mansio fient in splendidis commodissimisque aedibus pristini monasterii Sancto Ludovico Regi dicati (vide photographema).



Ii, qui de his propositis plura scire velint, interrogent Annulam (Nancy) Llewellyn-Menn:  
tel. (310) 827 2685  
[scriba@latin.org](mailto:scriba@latin.org)  
<http://www.latin.org>